



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

De fine Concilij, & confirmatione petenda à sanctissimo Domine nostre.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

Decreta & literæ Congregationis Concilij semotis litibus sunt executioni demandandæ, nec super his, sententia vel Decretum aliquod est iterum faciendum.

S.D.N. Gregorius XIII. reducit ad terminos Decretorum Concilij eas tantum materias, de quibus Concilium disposuit: eas autem de quibus Conc. nihil decrevit, reliquit in terminis in quibus erat ante Conc. & ideo si qua ipsi Regularibus privilegia eo tempore indulta fuerunt, quæ Decretis Conc. non aduersantur, Sanctitas sua non sustulit.

In vna Pisicensi, Rota auocauit ad se quasi possessionem: opposuit se Præpositus, qui cum Abbate de Florentia litigabat super iure visitationis de Decreto Concilij, c. 8. Sess. 21. Congregatio consulti respondit, licuisse Rotæ auocare sibi quasi possessionem, & posse procedere in causa ad vltiora.

Cum dicitur: *ante publicationem Concilij*, non intelligitur in aliqua particulari Diocesi, sed ante Kal. Maij, 1564. secundum declarationem Pij IV. modo accedant reliqua.

S.D.N. Gregorius XIII. voluit illas tantum declarationes Pij IV. saluas esse, de quibus literæ Apostolicæ iam expeditæ, vel supplicationes signatæ & registratæ fuerunt.

Episcopo Leodiensi, qui quæsiuit, an publicatio Concilij Tridentini facta in Vrbe, liget Leodienses, vbi nec hodie per Episcopum publicatum fuit? Respondit Congregatio ligare debere, modo concurrant quæ supra, Sess. 24. de Reform. Matrim. 1. §. *Post triginta dies.*

De recitandis Decretis Concilij, sub Paulo II I. & Iulio III. in Sessione.

Quoniam a diuersis temporibus, tam sub fel. rec. Paulo III. quàm Iulio III. multa in hoc sacro Concilio, quoad dogmata ac morum reformationem, statuta & definita sunt; vult sancta Synodus, vt illa nunc recitentur & legantur.

^aSupra, Sess. 1. 6. 7. 13. & 24.

Recitata sunt.

De fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctissimo Domino nostro.

Illustrissimi Domini, Reuerendissimiq; Patres, Placite vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis huic sacre OEcumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Iulio III. quàm sub S.D.N. Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta & definita sunt, b confirmatio nomine sanctæ

^bIuxta Gelas Pap. super Conc. Chalced. & Pelagium P. 2. in Epist. Decret. & Marcel. in Epist. decretali, ad Episc. Anstoch. prouinc. & Concil. Chalced. Act. 3. & Nicol. 1. apud Gratianum, d. 19. Si Romanorū.



huius Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes à Beatissimo Romano Pont. petatur.

Responderunt, PLACET.

Postmodum Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præsides, benedicens sanctæ Synodi, dixit: POST GRATIAS DEO ACTVS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE. *Qui responderunt, AMEN.*

ACCLAMATIONES

PATRVM

IN FINE CONCILII.

CARDINALIS A' LOTHARINGIA.

Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

RESPONSIO PATRVM.

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ serua multos annos.

Card. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, Iulij III. & Iulij III. quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, & æterna gloria, atq; felicitas in luce Sanctorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Serenissimorum Regum, quibus vniuersale Concilium promouerunt & protulerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Reuerentissimis Principibus nostris, multi anni.

Resp. Pium, & Christianum Imperatorem Domine conservat.

Concil. Frid.
cū declar.
mauerunt
magna

